

INGELLVS REX GOTHIÆ ET SVETIAE.



Ingellus post patrem Ingemarum in regnis Gothiæ & Suetiæ successit, atque in arte militari & corporis robore suo tempore circa annum trecentesimum nulli secundus extitit. Itaque Horaldū Daniæ regem magno exercitu adortus in fugam coniecit, atque parētis necem fortiter vindicauit. Sic uictor regis sororem secū abduxit, & in patriam rediit. Postea Horaldus Danus cum eo pacem sancuit, & sororem captiuam in matrimonium concessit. Id cum Sueones grauiter ferrent, contra regem suum coniurarunt, & per fratrem inter iurgia interfecerunt. Huius postea filius Germundus concordibus populorum suffragijs rex constitutus fuit.